



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Servii E Societate Iesv Amicus Fidelis Vsque Ad
Mortem: Sive Modvs Ivvandi Moribvndos, Ægris, Sanisqve
Perinde Vtilis**

Servius, Philippe

Leodii, 1648

Appendix De Sacramento Baptismi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60032)

na, id est in Baptismo. Ne verò contra Baptismi ordinem aut dignitatem aliquid moliamur, pauca dumtaxat ex eo, in gratiam paruulorum, per modum Appendicis delibabimus.

A P P E N D I X

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Quenam materia Baptismi?

Materia remota Baptismi, est aqua naturalis: proxima verò, est externa corporis ablutio; siue fiat ea per immersionem corporis in aquam, siue per infusionem, siue etiam (in necessitate) per adspersionem. Neque tamen omnis aqua, licet vera & naturalis, idonea est ad baptizandum, nisi sacris in fontibus benedicta sit (intelligendum Baptismus in Ecclesia, de more, solemniter celebratur) nam si urgente necessitate aliqua Baptismus, extra Ecclesiam sine cærimonijs moribundo conferatur, quælibet aqua (modo naturalis sit) ad baptizandum idonea erit.

Dicitur,

Dicitur, *Naturalis*: ad excludendam cereuisiam, sudorem, lachrymas, saliuam; aquam rosaceam, aquam distillatam, aut alium liquorem artificialem specie differentem ab aqua naturali. Vide Martinum Bonacinam to. 1. de Theol. morali fol. 46.

Potestne ad baptizandum alia aqua quam naturalis adhiberi?

Sunt Authores, benè multi, qui doceant in casu necessitatis, deficiente aqua naturali, artificialē adhiberi posse; qualis est aqua rosacea, vel aqua aliorum florum, siue etiam herbarum & plantarum per stillationem elicita. Ita asserit Ioannes Puteanus Sacræ Theologiæ Professor Regius, in Academia Tolosana: cui assentitur Ioannes Præpositus: vterque in 3. part. D. Tho. quæst. 66 art. 4.

Ideò autem, in extrema necessitate, liquores illi adhiberi possunt, quod non omninò constet an differant specie ab aqua naturali; & quod Ecclesia hactenus non definiuerit nullo planè casu vllam aliam aquam à naturali, sufficere ad valorem Baptismi.

An

*An hoc pacto, irreuerentia Sacramēto nō ir-
rogatur? periculoq; irritationis exponitur?*

Respondet in simili dubio Sancius
Sacramentum quasi iuri suo cedere,
nec ægrè ferre se exponi periculo irri-
tationis, vbi de salute proximi spiri-
tuali & de maiore securitate agitur;
Et, quod vbi charitas cum religione
concurrit, religio haud difficulter cha-
ritati cedit: quamquam Baptismatis
irritationi cauebitur, si sub conditio-
ne, videlicet si materia hæc idonea sit,
conferatur; quod omninò faciendum
censet Ioannes Præpositus, sublatoque
periculo, quæ sita que diligenter & in-
uenta aqua non dubia, Baptismum sub
conditione si baptizatus sit superstes,
iterandum.

DE FORMA BAPTISMI.

Forma Sacramenti Baptismi sunt
hæc verba: *Ego te baptizo in nomine
Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Diligentes esse conuenit Pastores,
vt intelligant an Obstetrices nouerint
debitam formam Baptismi proferre,
& materiam applicare.

V

Expedi